

Johann Cothmann   Joachim Engel

## **Disputatio Theologica De Ecclesia in qua Auxilio Christi Theantrpu Ecclesiae Capitis**

Rostochi[i]: Richelius, 1635

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn739694820>

Druck   Freier  Zugang



Vort. J. Angelius.

Joh. Cothmann's  
R. U. theol. 1635.







Disputatio Theologica  
DE  
ECCLESIA

*in qua*

Auxilio Christi ΘΕΑΝΤΡΟΠΟΥ  
Ecclesiæ Capitit

PRÆSIDE

JOHANNE COTHMANNO

S. S. Theologiæ D. & Professore.

RESPONDEBIT

JOACHIMUS ANGELUS

Holsatus.

*In Auditorio Majori 16, Maii.*



ROSTOCHI

*Literis haredum Richelianorum, Anno 1635.*

1635 9



Disputatio Theologica  
DE  
ECCLESIA



ACHIMUS ANGELIUS  
in Auditorio Auditorii  
Rostochii  
1704





Ephes. 5. v. 23.

Ὁ Χριστὸς κεφαλὴ τῆς ἐκκλησίας καὶ αὐτὸς ἐστὶ  
σωτὴρ τῆς σώματός.

I.

**D**OCTRINAM de Ecclesia non solum maxime esse utilem, sed & summè scitu necessariam, nemo unquam inficias ibit, qui vel à limine saltem theologiae sacra salutavit. Cum enim Ecclesia sit domus Dei viventis *1 Tim. 3. v. 15. 2. Tim. 2. v. 20. Heb. 3. v. 5.* certè qui in illa domo, ubi Deus gratisè habitat *Lev. 26. v. 12, 2. Cor. 6. v. 16. conf. Esa. 37. v. ult.* repertus non fuerit, ab alienatus erit à Republ. Israël, & extraneus à testamentis promissionis *Ephes. 2. v. 12.*

2. Et quemadmodum nemo extra Nöæ arcam, quam *August. Tom. 4. c. 44. p. 478. & Bernhard. serm. de Maria p. 1722.* Ecclesia figuram appellant, vivus conservabatur *Gen. 7. v. 21, 22.* ita nulli extra Ecclesiae pomœria constituto salus continget æterna *1. Theff. 4. v. 13.* Unde *Cyprianus* Carthaginensis Episcopus *Epist. 49. p. 91* rectè ait: quomodo potest esse cum Christo qui cum sponsa Christi, atq; in eius Ecclesia non est. Verè ergò cum *August. ex Tom. 9. p. 1438.* dicimus. Quoniam si quis absq; ea (Ecclesia) inventus fuerit, alienus erit à numero filiorum. Nec habebit Deum patrem, qui Ecclesiam noluerit habere matrem.

3. Quæ cum sint verissima, non abs re fore arbitratur doctrinam de Ecclesia paucis Aphorismis inclusam repetere, ac publicè ventilandam proponere. Vox Ecclesiae, si ejus etymon spectemus, dicitur *παρατὸ ἐκκληλεῖν* ab evocando, ubi terminus à quo; vid. mundus *Job. 15. v. 19.* (qui juxta *Johannem in Epist. c. 5, v. 19.* in malo positus est) sive ut Paulus ait: præsens

A 2

secu




seculum malum *Galat. 1. v. 4. 2. Tim. 4. v. 10.* & terminus ad quem, regnum Christi *Col. 1. v. 12.* & innumerabilis S. Angelorum frequentia *Hebr. 12. v. 22.* notandus venit. Per Ecclesiam enim à tenebris & potestate Satanae evocari, ad lucem Evangelii vocamur *1. Pet. 2. v. 9.* & ad ipsum Deum convertimur *Act. 26. v. 15.* Hinc ab Apostolo *Rom. 1. v. 7. 1. Cor. 1. v. 2.* Ecclesiae cives *κληῖται* conf. *Matth. 22. v. 14.* & à Christo *κεκλημένοι* *Luc. 14. v. 24.* dicuntur.

4. Quoniam verò congregationes non sunt uniusmodi, ideo ne vocis Ecclesiae ambiguitas nobis imponat, illa notanda venit. Biblicè ergò vox Ecclesiae sumpta pro quovis civili hominum cætu sumitur *Act. 19. v. 32. 39. 40.* specialiter congregationem notat hominum religionis causa convenientium *Act. 16. v. 5. 6. 14. v. 23. 6. 9. v. 31.* & passim.

5. Cætus autem ille vel est particularis, quo sensu Ecclesia dicitur Galatica *Galat. 1. v. 2.* Hierosolymitana *Act. 12. v. 1.* Babylonica *1. Pet. 5. v. 13.* Ephesina *Apocal. 2. v. 1.* Laëdicensis *Apoc. 3. v. 14.* Ecclesiae huic particulari domestica, qua de vide *Rom. 16. v. 5. 1. Cor. 16. v. 19. Col. 4. v. 15. Philem. v. 2.* rectè annumerari potest: vel universalis idq; dupliciter. 1. absolute dum totus ille Dei populus ab origine mundi ad finem seculi usq; sive jam in coelo cum Christo regnet *Ap. 5. v. 10.* sive in carne adhuc existens contra peccatum, mundum, Diabolū pugnet *Eph. 6. v. 12.* cætui huic annumeratur. 2. certo respectu Ecclesia dicitur universalis quando fideles ubiq; locorum viventes, ac per totum mundum dispersi intelliguntur.

6. Particularis Ecclesia duplicem quoq; admittit considerationem, vel totius, dum omnes illi in Ecclesia hac aut illa degentes sive sint auditores: sive Doctores, appellatione Ecclesiae veniunt: 3 *Job. 7. 6. 1. Tim. 5. v. 16.* vel partis ac pro senatu Ecclesiastico, qui & presbyterium vocatur *1. Tim. 4. v. 14.* sumitur *Matth. 18. v. 17.* tum & in specie auditores ministrorum Ecclesiae notat. *Act. 20. v. 28.*

7. In V. T. Ecclesia vocari solet  convocatio *Exod. 12.*



*Exod. 12. v. 16. Esa. 1. v. 13.* <sup>III</sup> detentio *2 Reg. 10. v. 20. Amos*  
*5. v. 21.* <sup>IIII</sup> collectio *Psal. 68. v. 27. Deut. 5. v. 22.* <sup>V</sup> con-

gregario *Psal. 1. v. 5.* Quæ omnes acceptiones non invicem  
 pugnant, sed amicè ut res ipsa loquitur, consonant & conspirant.

8. Quia verò ex hæcenus dictis liquet Ecclesiæ vocem  
 esse ambiguan, ideo ne ejus æquivocatione decipiamur, Script.  
 sacra illam non solum absolute indigitat ut *1 Tim. 5. v. 16. Jac. 5.*  
*v. 14.* Sed certis epithetis ab aliis quibusvis coetibus discernit; ut-  
 pote vocatur Ecclesia Dei *1 Cor. 11. v. 16. Gal. 1. v. 13.* coetus sive  
 congregatio Jehovæ *Num. 20. v. 4.* Ecclesia Christi *Rom. 16. v. 16.*  
 sive: quæ est in Christo *Gal. 1. v. 22.* Ecclesiæ quoq; cives certis  
 notis discernuntur utpote dicuntur discipuli *Act. 9. v. 26. c. 6.*  
*v. 1.* multitudo credentium *Act. 4. v. 32. c. 5. v. 14.* Christiani  
*Act. 11. v. 26. c. 26. v. 28. 1 Pet. 4. v. 16.* grex *Act. 20. v. 28. 1 Pet.*  
*5. v. 2.* oves *Joh. 10. v. 14.* quarum Christus est Pastor *Hebr. 13. v.*  
*20. 1 Pet. 2. v. 9.* clerus *1 Pet. 5. v. 3.* conf. *Rom. 8. v. 17. Col. 1. v. 17* &c.  
 plura epitheta videri possunt apud *Flac. in clav. p. 263* & *D. Gerh.*  
*in L. C. p. 579. & seqq.*

9. Quamvis verò usus quem penes arbitrium est, & jus  
 & norma loquendi, obtinuisse videatur, coetum Judæorū syna-  
 gogam: Christianorum a. Ecclesiam appellari cui suffragari vi-  
 detur *August Tom. 8. in enarratione Psal. 81. p. 18.* ajens: in synagoga  
 populum Israël accipimus, quia & ipsorum propriè synagoga di-  
 ei solet confer. eundem in *Psal. 77. p. 1028.* & *Psal. 82 p. 23.* Et  
 in Dialogo (si ille est Augustini) de altercatione Ecclesiæ & sy-  
 nagogæ *Tom. 6 pag. 97.* A qua sententia non alienus, quoq; est  
 Bernh. synagogam Christi novercaus. Item: Ecclesiam syna-  
 gogæ filiam appellans *serm. 6 p. 443.* & super *Cant. 29. p. 683.*  
 illud tamen discrimen magis esse consuetudinis, quam veritatis  
 dubitantem scripturarum docebit collatio conf. *Hebr. 10. v. 25.*  
*Jac. 2. v. 2. Act. 7. 38. 2. Thess. 2. v. 1.* Unde Irenæus *Lib. 3. c. 6.*  
 rectè ait: Hi autem sunt Ecclesia: hæc enim est Synagoga Dei.  
 Et ipse *August.* quamvis contrarium statuere visus sit antè; in-  
 quit tamen in *enarrat. Psal. 78. p. 2057.* Quanquam Asaph synago-

A 3

ga inter



ga interpretetur, quæ est congregatio, idq; nomen usitatus in  
federit genti Judæorum; tamen & Ecclesiam istam posse dici  
congregationem & illum veterum populum dictum esse Eccle-  
siam, jam in alio Psalmo satis aperteq; monstravimus.

10. Non igitur longissimè distat Ecclesia Christi à Sy-  
nagoga Judæorum, & aliud illa quam hæc cum Deo foedus ha-  
bet, quia Deus absolutè sese Ecclesie alligavit sine ulla conditio-  
ne, ut loquitur Pistorius in *Hodeg. p. 96. 97.* Falsum itaq; est  
quod ait *Bellarmin. Lib. 3. de Eccl. c. 1.* populus V. T. proprie di-  
citur synagoga, id est congregatio, populus N. T. nusquam di-  
citur synagoga.

11. Præmissa vocis ambiguitate, Ecclesiam prout illa in  
hisce terris cœtum constituit visibilem cum *Chem. ex L. C. pag.*  
*279.* ita describimus: Ecclesia visibilis est cœtus amplectentium  
Evangelium Christi, & rectè utentium sacramentis, in quo De-  
us per ministerium Evangelii est efficax, & multos ad vitam æ-  
ternam regenerat, in quo cœtu tamen multi sunt non tenati, sed  
de verâ doctrina consentientes.

12. Definitioni huic non contradicit *Aug. Confess. Art. 7.*  
Ecclesiam per congregationem sanctorum describens; res ipsa  
enim loquitur & Art. 7 & 8. collatio manifestò ostendit, Eccle-  
siae vocis significationem *Art. 7.* esse angustiores acceptione  
vocis ejusdem *Art. 8.* Unde *Aug. Conf. Apologia* primam il-  
lam descriptionem nervosè & accuratè defendit. In latiori er-  
gò vocis consideratione, omnes verbo consentientes, ac sacra-  
mentis juxta Christi institutionem utentes; hypocritæ quamvis  
sint, Ecclesie rectè annumerantur. Ut parabola *Matt. 23. v. 24.*  
*48. c. 3. v. 12. c. 22. v. 10. c. 25. v. 1.* exempla Cainis & Abelis  
*1 Joh. 3. v. 12.* Noæ & prisci mundi *Gen. 6. v. 6 8. 2 Pet. 2. v. 5.*  
Isaaci & Ismaelis *Gal. 4. v. 29. 30.* Jacobi & Esavi *Gen. 27. v. 41.*  
*42. Rom. 9. v. 10.* similitudines *2 Tim. 2. v. 20. Job. 15. v. 6. Luc.*  
*13. v. 9.* Scripturæ dicta *1 Cor. 11. v. 18. 19. c. 15. v. 12. Act. 20.*  
*v. 29.* testantur.

13. Scriptura itaq; Ecclesiam honorificis titulis ornans.  
Vide



Vide 1 Cor. 1. v. 5. 6. 7. Col. 1. v. 2. 1 Pet. 2. v. 9. Synecdoche scripturis usitata, qua à digniori & potiori denominatio fit utitur, de qua *August. Tom. 2. Epist. 59. p. 342.* monet, istam scripturarum divinarum consuetudinem per omne corpus literarum ejus creberrimè sparsam diligenter advertendam esse, cum hoc pacto multa quæ inter se videantur esse contraria dissolvi possint.

14. Observandum verò quamvis mali & hypocritæ, bonis sint permisti, ac in externa Ecclesiæ societate vivant; non tamen interna fide & charitate fundata communione gaudere. Sunt ergò in Ecclesia. sive: cætus visibilis membra sunt: non verò invisibilis: de qua distinctione infra ageretur pluribus.

15. Agnoscit autem Ecclesia auctorem sive causam principalem Deum Trinum. Et licet una aut altera persona sola aliquando nominetur; alia tamen ob essentiæ unitatem non excluditur. Deus Pater vocat nos ad communionem filii sui 1 Cor. 1. v. 9. Hæc autem communio patri & filio tribuitur 1 Job. 1. v. 3. & per Spir. S. justificamur 1 Corinth. 6. v. 11. conf. 1 Thes. 2. v. 12. c. 4. v. 7. 1 Pet. 5. v. 10.

16. Vocat verò Deus homines non per raptus Enthusiasticos ἀμείσως; sed per suos ministros ἐμπέσως; hos enim constituit mysteriorum suorum dispensatores 1 Cor. 4. v. 1. per illos credimus 1 Cor. 3. v. 5. Job. 17. v. 20. Illi ministraliter homines salvare dicuntur 1 Tim. 4. v. 16. Ministri autem illi vel sunt immediatè vocati ut Prophetæ Testamenti veteris Jerem. 1. v. 5. Amos 7. v. 15. Jac. 5. v. 10. & Apostoli Test. Nov. Matt. 10. v. 5. isti enim non ab hominibus, neq; per hominem sed per Jesum Christum ad munus Apostolicum vocati sunt Galat. 1. v. 1. Act. 1. v. 24.

17. Instrumentum autem quod ministri ad Ecclesiam colligendam utuntur, est Dei verbum; quando enim considerantur ut homines donis à Deo exornati singularibus dicit Apostolus: neq; qui plantat est aliquid, neq; qui rigat, sed qui dat incrementum Deus 1 Cor. 3. v. 7. Instrumentalis itaq; Ecclesiæ colligendæ causa est scriptura *Ἰερότευον* 2 Tim. 3. v. 16. placuit enim.



enim Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes  
I Cor. 1. v. 21. consideratur verò Dei verbum, vel ut nudum,  
quod & audibile vocatur. Rom. 10. v. 17. Jac. 1. v. 22. vel sym-  
bolicis sacramentalibus vestitum, quod visibile dicitur Act. 22. v. 16.  
Eph. 5. v. 27. Tit. 3. v. 5. 1 Pet. 3. v. 21

18. Materia ex qua Ecclesiæ coetus constituitur, sunt soli  
homines, iiq; duplicis sunt differentia: quidam enim tum inter-  
nè tum externè Ecclesiæ cives sunt; alii verò externè tantum.  
Priores vera ac viva: posteriores autem putrida ac mortua Ec-  
clesiæ sunt membra conf. Thef. 12.

19. Recedimus ergò assertionem hac à Polani in Syntag.  
Theol. Lib. 7. c. 3. p. 599. Bucani Loco 41. p. 464. aliorumq; illis  
adstipulantium sententia, qua beatos Angelos veræ Ecclesiæ  
partem materiale[m] sive membra Ecclesiæ esse contendunt. Ubi  
tamen vis veritatis coëgit, Bucanum l. d. Q. 6. nostræ sententiæ  
calculum addere, hisce verbis: Ecclesiam ex hominibus tan-  
tum colligi asserimus, juxta promissionem patris, Filio factam  
Psal. 2. v. 8. Et Ursinum in Catech. p. 208. Ecclesiam definiens  
solorum hominum, non angelorum meminit nec immeritò.  
Quia Filius Dei non assumpsit Angelos Heb. 2. v. 16. nec pro An-  
gelis sed hominibus satisfecit Luc. 2. v. 10. 11. nec Angelis sed  
hominibus ministerium verbi & sacramentorum instituit Matt.  
28. v. 19. Mar. 16. v. 15. Luc. 24. v. 47. Angeli itaq; ad corpus  
Ecclesiasticum, tanquam ejusdem pars materialis, non rectè re-  
feruntur. Sunt quidem in Ecclesia cum militante, ut spiritus  
administratorii Hebr. 1. v. 14. custodes Psal. 34. v. 8. & vigiles  
Dan. 4. v. 10. tum triumphante Deum laudantes ipsiq; Τετορζιον  
accincentes Esa. 6. v. 3. Apoc. 4. v. 8. hinc verò minime sequitur  
esse eos Ecclesiæ membra.

20. Urget quidem Polan. l. d. illud maxime sequi quia  
nobiscum uniantur sub eodem capite Christo. Cui breviter re-  
spondeo Angelos quidem Christum agnoscere caput & Domi-  
num in articulo creationis: minimè verò in articulo redemptio-  
nis. Quæ duo quam maximè distinguuntur. Quod ipse  
Zanch,



*Zanch.* in explic. *Epist. ad Eph.* p. 74, diffineri nequit ita ajens: magnam certè discrimen est inter subjectionem totius rerum naturæ: & inter subjectionem Ecclesiæ piorum q̄: omnium. Et *Theodor.* in *Epist. ad Ephes.* inquit, Christus Dominus obtinet locum capitis qui autem in ipsum credunt corporis

21. Quamvis verò homines, Ecclesiam constituentes sint duplices, ut *Theo.* 17. dictum: inde tamen minus rectè, Ecclesiam qua de agimus duplicem esse infertur. Una enim est Ecclesia, quia unicum ejus est fundamentum quod est Christus *1 Cor.* 3. v. 11. Unde *August.* *Tract.* 124. in *Job.* cap. 21. explicaturus locum illum classicum *Matt.* 16. v. 19. Ecclesiam esse fundatam super petram Christum quam Petrus confessus erat, affirmat, cum quo *Bellarmin.* asserens *Lib. de Rom. Pontif.* c. 11. Ecclesiam super Petrum ædificatam esse transigat. Deinde una est Ecclesia, unitate fidei, si ves fides illa sit quæ creditur *Gal.* 1 v. 23, si ve qua creditur *Mat.* 9. v. 2. de qua distinctione videri potest *August.* *Tom.* 3. lib. 13. de *Trinit.* p. 544. Non verò una est, unitate vicarii Romani pontificis affirmante *Bellarmin.* lib. 3. de *Eccl.* c. 2. quia hujus unitatis in scripturis altam est silentium, quod dubitanti in ipsa *συνφιλοσοφία* probabimus.

22. Una autem hæc Ecclesia distinguitur in visibilem & invisibilem, non eo quem nobis pessimè affingit *Bellarmin.* sensu, quasi duas Ecclesias fingamus: cum distinctio hæc non sit generis in species oppositas: neq; totius in partes diversas, sed subiecti in diversa accidentia, & unius Ecclesiæ diversus respectus, aliussq; considerandi modus indicatur. V. G. Ecclesia tempore *Eliæ* invisibilis erat, quando filii Israël, conquerente *Eliæ* *2 Reg.* 19. v. 10. pactum Dei dereliquerant, altaria vera destruxerant, prophetas Domini interfecerant. Nec tamen in ferendum illo tempore duas fuisse Ecclesias. Ipse *Bellarmin.* cap. 15. allegati libri sanctitatem Ecclesiæ sine dubio invisibilem esse fateatur, subjungens: videmus cœtum hominum qui est Ecclesia, sed quod ille cœtus sit ipsa vera Christi Ecclesia, non videmus, sed credimus. Num illa diversa consideratio Ecclesiam duplicat? Cœterum

B

rum



rum quo sensu quave intentione Theologi distinctionem hanc  
ante hac urserint, hodieq; defendant, nervosè more suo indicat  
*Chem. Logo de Eccel. p. 307.*

23. Ecclesie verò quamvis magna sit auctoritas, adèò ut  
juxta scripturam columna sit & firmamentum veritatis *1 Tim. 3.  
v. 15.* corpus Christi *Eph. 1. v. 23.* sponsa ejusdem *apoc. 21. v. 9.* quam  
spiritus S. in omnem ducit veritatem *Job. 16. v. 13.* quæ nobis au-  
dienda proponitur *Matt. 18. v. 17.* illa tamen elogia sine ulla limi-  
tatione aut conditione ut loquitur *Pistorius in Hodeg. p. 124.* intel-  
ligenda non sunt. Unde *Tertul. adversus Heret. p. 97.* recte scri-  
bit: Apostolos Domini habemus auctores qui nec ipsi quicquam  
ex suo arbitrio, quod inducerent elegerunt: sed acceptam à Chri-  
sto disciplinam fideliter nationibus ad signarunt. Ecclesia enim  
Ephesina in qua Timotheus versabatur *1 Tim. 4. v. ult.* columna  
& firmamentum appellatur veritatis, quatenus erat Domus Dei  
doctrinam de Christo à Paulo triennium prædicatam *Act. 20.  
v. 31.* recipiens. Quando verò Paulo Apostolo discedente, lu-  
pi graves perversa loquentes Ephesinam Ecclesiam turbarunt,  
*Act. 20. v. 29 30.* ut relicta charitate prima à gratia, Dei exciderit,  
*Apoc. 2. v. 4.* non jam Amplius specioso illo gaudet titulo, sed po-  
tius cum Prophetâ dicendum: quomodo facta est meretrix civi-  
tas fidelis *Esai. 1. v. 21.*

24. Ex quibus liquet Ecclesiam ejus auctoritatem ad  
præscriptum verbi divini esse alligatam, qui enim in sermone  
Christi manserit hic erit discipulus *Job. 8. v. 31.* & genuinæ Chri-  
sti oves vocem sui pastoris audiant *1. Cor. 10. v. 27.* & amici Christi  
faciunt præcepta ejusdem *1. Cor. 15. v. 14.* Unde immotum perstat  
sententiæ nostræ fundamentum: Ecclesiam esse οὐδὸν καὶ ἐδραι-  
ωμένης ἀληθείας propter doctrinam Propheticam & Apostoli-  
cæm unicum Ecclesie fundamentum Christum Jesum *1. Cor. 3.  
v. 11.* monstrans. Quo relicto Ecclesia circa fidem naufragium  
facit *1 Tim. 1. v. 19.*

25. Notæ sive *πρωτοτυπία* quibus Ecclesia ab aliis in  
mundo cœtibus sive conventibus discernitur, est vera verbi divini  
prædi-



prædicatio, quæ cum viva voce tum sacramentorū dispensatione absolvitur verbum enim Dei unicum & solum medium est Ecclesiam veram indubitato ostendens, eiq; soli & semper conveniens ac illam à quibusvis aliis cœtibus distinguens. unde ab illa, salva manente Ecclesia, separari non potest. *vid. Job 8 v. 47. 1 Cor. I. v. 23. Act. 2 v. 42. 2 Thes. 3 v. 6.* Nam sicut fumus ignem & vox hominem indicant: ita nota hæc verbi divini, Ecclesiam certo ostendit.

26. Quamvis verò *notæ* hæc Ecclesia semper convenient puritatis tamen gradus variant. Quando enim Ecclesia premitur; cum & simul verbi divini prædicatio obscuratur. Quod Exemplis pharisæi & papisæi illustrari potest. Deus tamen agit per id quod est suum; nam verbum Dei non redit ad se vacuum *Esa 55 v. 11*. Pharisæi gravissimos licet habuerint errores, quos fugiendos esse Christus sub nomine fermenti admonet *Matt. 16 v. 6*. eosdem tamen in cathedra Moysis sedentes audientes esse ait *Matt. 23, v. 2, 3.*

27. Hæretici notas has licet jactitent sibiq; falso tribuant; inde tamen vera non desinunt esse Ecclesie symbola, cum aliud sit inanis rei jactantia, & vera rei alicujus attributio. Christus Hæreticos fures & latrones esse pronuntiat *Job 10 v. 31*. Illorum autem proprium est aliena bona ad se non spectantia sibi sumere: haut aliter hæretici faciunt. Unde *August. Tom. 9. Tract. 18. v. 5. in Job.* ait: neq; enim natæ sunt hæreses & quedam dogmata perversitatis illaqueantia, animas, & in profundum præcipitantia, nisi dum scripturæ bonæ intelliguntur non bene, & quod in eis non bene intelligitur, etiam temere & audacter asseritur. qd

28. *Bellar.* equidem quindecim Ecclesie numerat notas *Lib. 4. de Not. Eccles. cap. 3.* *Gregor.* autem de *Valentia* paucioribus contentus octo solum recenset *Tom. 3. Disp. 11. Quid objecto fid. p. 170.* Quæ notæ ita sunt comparatæ, ut partim sint no hæ, partim nostræ respondeant.

29. Notis falsis & spurii annumeramus antiquitatem, amplitudinem sive multitudinem, gloriam miraculorum felicitatem



tatem temporalem, successione[m] Episcoporum, durationem  
diuturnam, ipsum catholicæ Ecclesiæ nomen. Notæ enim illæ  
partim non sunt Ecclesiæ propriæ, nec illi soli competunt; cum  
tamen consentiente *Gregor. de Valent.* in notis Ecclesiæ requirea-  
tur, ut illi soli attribuantur. Partim verò non sunt illi essentielles,  
neq; à primo ejus exordio ipsi tribui potuerunt, Ecclesia namq;  
primum instituta non fuit antiqua, ampla, duratione icidem diu-  
turna, ac successione Episcoporum continua caruit, nihilominus  
tamen vera Ecclesia fuit. Notæ ergo allegatæ non sunt Eccle-  
siæ perpetuæ, proindeq; non sunt notæ.

30. Ubi non est, ut quis cum *Gregor. de Valent.* excipiat,  
non tollere rationem notæ, quod quædam ex ejusmodi Ecclesiæ  
accidentibus non jam inde ab ejus exordio ipsi convenerunt, sa-  
tis enim esse si ei competant in eo statu quem jam habet. At quæ  
hæc esset nota unde evidenter colligi posset Ecclesia, si ipsi per-  
petuò non tribueretur? accidens potius dicendum esset, & qui-  
dem separabile non essentialis Ecclesiæ proprietas. De tali ac-  
cidente minus sumus solliciti, sed nostra in eo voluitur cardine  
quæstio: quidnam illud sit unde infallibiliter, Ecclesia nobis inno-  
tescat, & categoricè respondemus esse doctrinam Propheticam &  
Apostol. Hanc qui amplectitur cætus, est Ecclesia Christi, vocem  
ejusdem audiens; qui verò relicta ac seposita puriore doctrina  
Evangelica, suis adhæret traditionibus doctrinæ revelatæ ad-  
versis, ille nota hæc caret. Qua de re in ipso discursu, volente  
Deo pluribus data occasione agemus. Nos hîc finientes Patri  
misericordiarum ex intimis visceribus agimus gratias quod ex  
lapsi genere humano Ecclesiam sibi colligere, collectam contra  
insultus Diaboli ac malorum hominum potenter conservare ha-  
stenus dignatus est. Ille faciat nos vasa misericordiæ ut tan-  
dem firmus ipsius gratia vasa gloriæ, illum cum omnibus  
electis & Angelis sanctis laudantes

Amen.













prædicatio, quæ cum viva voce tum sacramentorū dis-  
absolvitur verbum enim Dei unicum & solum medi-  
clesiam veram indubitato ostendens, eiq; soli & sempe-  
niens: ac illam à quibusvis aliis cœtibus distinguens. un-  
salva manente Ecclesia, separari non potest. *vid. Job. 8. v.*  
*I. v. 23. Act. 2. v. 42. 2. Thes. 3. v. 6.* Nam sicut fumus ignem  
hominem indicant: ita nota hæc verbi divini, Ecclesiam  
fendit.

26. Quamvis verò *notæ* hæc Ecclesiam  
convenient puritatis tamen gradus variant. Quando eni-  
ha premitur; tum & simul verbi divini prædicatio ob-  
Quod Exemplis pharisæi & papisti illustrari potest  
tamen agit per id quod est suum; nam verbum Dei non  
se vacuum *Esa. 55. v. II.* Pharisæi gravissimos licet habue-  
res, quos fugiendos esse Christus sub nomine fermenti  
*Matt. 16. v. 6.* eosdem tamen in cathedra Moysis sedentes  
dos esse ait *Matt. 23. v. 2. 3.*

27. Hæretici notas has licet jactitent sibiq; falso  
inde tamen vera non desinunt esse Ecclesie symbola,  
ut sit inanis rei jactantia, & vera rei alicujus attributio.  
Hæreticos fures & latrones esse pronuntiat *Job. 10. v. 8.*  
autem proprium est aliena bona ad se non spectantia sibi  
haut aliter hæretici faciunt. Unde *August. Tom. 9. Tra-*  
*in Job.* ait: neq; enim natæ sunt hæreses & quedam  
perversitatis illaqueantia, animas, & in profundum pe-  
tia, nisi dum scripturæ bonæ intelliguntur non bene. Sed  
ois non bene intelligitur, etiam temere & audacter asse-

28. *Bellar.* equidem quindecim Ecclesie nume-  
*Lib. 4. de Not. Eccles. cap. 3.* *Gregor. autem de Valentia* pa-  
contentus octo solum recense: *Tom. 3. Diss. II. Q. 1. de*  
*p. 170.* Quæ notæ ita sunt comparatæ, ut partim sint in-  
tim nostræ respondeant.

29. Notis falsis & spuris annumeramus anti-  
amplitudinem sive multitudinem, gloriam miraculorū

